

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris Theologia Tripartita Universa

Complectens nunc Bibliothecam perfectam Viri Ecclesiastici, ordine
sequenti

Controversiae Heterodoxae Ac Scholasticae - Cum speciali Notitia rerum
Modernarum, & Chronologia totius Monarchiae Sacrae, & Saecularis,
Pontificum, Conciliorum &c. Haeresum omnium, ac Propositionum
damnatarum Mundi Sex Aetatum ...

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

§. 4. Dissolvuntur breviter variorum argumenta contra scientiam Dei
Medium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38447

Pars II. Cont. I. De varia in Deo scientia, ac Præscientia Futuorum. III

media, visio divina circa istam Tyrorum dispositio-
nem olim auctu existentem, ut inde certò cognoscatur
eorum pœnitentiam sub conditione futuram.

Sed contra, Supponere videtur hæc responsio,
minorem affectum in vita, accidente majori impul-
su gratiæ, necessariò succumbere, & voluntatem gratiæ
tunc impellenti infallibili lege obsecundare: unde
sequitur, pœnitentiam sic prævisam non fore libe-
ram, atque ita hanc responditionem impingere in do-
ctrinam Jansenii de gratia viætrici: parum enim re-
ferre videtur, siue major impulsus gratiæ necessariò
viætricis componatur cum minori affectu in vita, si-
ue cum minori inclinatione concupiscentiæ, modo
voluntas sub illis constituta ex vi intrinseca & infalli-
bili istius gratiæ ad actum pœnitentiae determinari
debeat.

Quamquam & hæc objectio, in hypothesi quam
supponit, eodem cum priori vitio labore. Gratia
enim assumitur Tyros & Sydonios, homines insig-
niter impios, minori affectu suis vitiis adhaesisse,
quam Judæos Bethsaïde incolas, qui Dei notitiam, &
lege, & plurimis divinis ultiōis exemplis instructi
erant, quibus poterat vehementior in vita affectus
non parum elidi. Et in hoc ipso confitetur videtur
vis exprobationis divina, quod cum Tyri & Sidonii
infideles majorem haberent obicem conversionis,
facilius tamen per eadem miracula, eandemque
gratiæ liberum voluntatis arbitrium ad pœnitentiam
inflexissent.

Quod si adhuc de Tyrorum moderationi in vi-
ta affectu benignis hic sentendum esse contendas,
cogeris etiam ad Sodomitas idem patrociniū ex-
tendere. Nam in eodem contextu de Capharnaio
Judeorum urbe continuo subjungitur; *Si in Sodo-
mis facta fuissent virtutes que in te, forte manifes-
tasse in hodiernum diem, nempe persecutaram con-
versionem & pœnitentiam.* An ergo cogiovit Christo
scientiæ visionis Sodomitas minori affectu ferri
in sua vita, quam Judæi Capharnaita suis erroribus
adhererent? At contra, ipsa Scriptura dicitur testa-
tur *Genesis 13.* Sodomitas fuisse *homines pessimos*, & in
suis vitiis ad extrellum induratos: & tamen horum
pœnitentia conditionata pre Capharnaitis a Christo
cognita, & prænunciata fuit; non utique ex minori
in vita affectu, qui ultricibus à celo flammis ac
sulphure cohibendus erat; sed ex ipsa libera, ac lau-
dabili voluntatis ad pœnitendum determinatione
sub conditione futura, & per scientiam mediā præ-
visa. Neque video quorū, ob expositionem tam
parum solidam, aliqui scientiæ mediae patroni judica-
verint hunc Scripturæ locum non satis illi parro-
cinari.

Probatur secundò assertio, ex Ratione, quæ si-
mul scientiæ mediae singularis usus, ac necessitas declaratur.
Quia ad salvandam libertatem & meritum
nostrorum actuum necesse est dicere, omnes gratias
quæ ad actum eliciendum proximè conducent esse
indifferentes, sic ut voluntas illis habitis possit se-
ipsum determinare sive ad agendum, sive ad non ag-
endum: actio enim ad quam voluntas non à se, sed
ab alio principio determinatur, non potest esse vol-
luntati libera, aut meritoria. Et tamen ex altera parte
necessitas est asserere aliquas gratias sic dari à Deo
ut infallibiliter inferant actum voluntatis creare,
cum non possit Deus homines certò destinare ad

merita gloria æternæ, nisi per gratias quas novit fo-
re efficaces. Hæc autem duo optimè conciliantur
per scientiam mediā, & non ita per viam cui aliis
insistunt. Nam posito quod Deus ista scientiæ vi-
deat, Si Petrus in talibus circumstantiis habeat hanc
gratiæ elicit actum amoris Dei, potest decernere
Petro dare in talibus circumstantiis illam gratiam:
atque ita decerneret gratiam quæ infallibiliter inferet
effectum, liberè tamen penendum, ex determinatio-
ne libera Petri per scientiam mediā prævisa. At
verò absque ista scientia non ita appetet, quæ ratio-
ne possit dicta efficacia gratiæ à Deo dandæ cum li-
bertate voluntatis conciliari. Debet enim illa ef-
ficax & infallibilis connexio gratiæ cum actu pro-
venire, vel ex ipsa natura & entitate gratiæ, per se de-
terminantis, & sic non relinquat voluntatem proximè
indifferentem ut possit seipsum determinare: vel
certè ponat aliud quo proximè determinetur, in præ-
judicium libertatis. Quæ difficultas plures etiam
ante Jansenium, in eum errorem impulit, ut absolu-
tè negarent ad libertatem requiri illam voluntatis in-
differentiam. Hunc nos scopulum existimamus aptissimè
declinari per usum scientiæ mediæ jam exposi-
tum, ali aliter, quorum varias & probabiles de hoc
puncto sententias dabimus infra in Controversia se-
ptima.

§. IV.

Dissolvuntur breviter variorum Argumenta con- tra scientiam Medium.

Obijiciunt primò, Scientiam mediā auferre Deo
rationem primæ causæ, & primi liberi. Absit
tantum nefas à Scientia illa minimè noxia. Probant
tamen, Quia supponit liberam determinationem vol-
luntatis create conditionatæ futuram, ante omne de-
cretum actuale, & determinatum voluntatis divinae.
Esto: Quid inde piaculi, quod Causa prima confide-
rata in statu conditionato nihil actu agat, ubi actu nihil
agitur. Sic enim in simili forma argumentor, & ostendo
ex illa objectione sequi, Scientiam etiam simplicis
intelligentiæ auferre à Deo rationem prima causæ, &
primi liberi: Deus ut cognoscens per scientiam sim-
plicis intelligentiæ objectum in statu possibilis v.g.
actum creature possibilem, nullum de eo objecto ha-
bet actuale decretum: ergo Deus ut sic cognoscens
non est prima causa, aut primum liberum. Si clau-
dicat hæc sequela, vacillat & ista; Deus per scientiam
mediā cognoscens objectum in statu conditionato
nullum de eo habet actuale decretum: Ergo Deus ut
sic cognoscens non est prima causa, aut primum li-
berum. En utrobius error idem se manifestat, quod
nempe exigatur in statu non absoluto divina libertas
absolutè exercita.

Debet igitur hic primum liberum sive primum de-
terminans sumi proportionatè ad statum in quo ob-
jectum consideratur, hoc est, in statu possibilis, Deus
est primum liberum sive determinans, non auctu, sed pos-
sibiliter: in statu conditionato Deus est primum liberu
non auctu, sed conditionatè, sive, est primum agens li-
berè si conditio ponetur: in statu autem absoluto Deus
est primum liberum auctu & absolutè. Cum ergo pro illo
triplici statu, in quo res eadem considerari potest, Deus
sit primum agens & primum liberum, nullo prorsus modo

Isde
Kin

Theo-
logia

DIV
28

112 Pars II. Cont. I. De varia in Deo scientia, ac Præscientia Futurorum.

modo per scientiam medium excluditur à ratione primi agentis, liberi, determinantis. Nec impedit illa quo minus omne agens, & liberum creatum à Deo volente & decernente accipiat ipsam potentiam eligendi, & totum actum electionis, relativè ad statum possibilem, conditionatum, aut actualē, in quo res à mente nostra consideratur existere. Hoc si ritè atteneretur, multum difficultatis, & contentiose evanesceret.

Objicies tamen secundò: Scientia media ledit in hoc libertatem divinam, quod non proponat Deo objectum suum cum indifferentia ad existendum, vel non existendum, sed exhibeat determinatè futurum, si ponantur certæ circumstantiae, quasi præveniendo determinationem divinam.

Respondeo negando assumptum: & iterum monstro, frustra objici lassionem aut impedimentum libertatis in statu conditionato, ubi non datur locus libertati exercendæ, quæ tantum actu exerceri potest in statu absoluto. Ceterum non proponit scientia media actum voluntatis humanae futurum sine dicta indifferentia, nisi ex hypothesi quod Deus liberè vellet suam gratiam, & concussum, & reliquias conditiones præbere, cum quibus prævidetur connectenda actio voluntatis humanae, adeoque actus conditionatè prævisus per scientiam medium, supponit etiam conditionatum exercitium libertatis divinae, sive, quod hoc exercitium actu est, si actura foret voluntas creata. Non enim concipitur hæc actura, nisi supponantur ad futura omnia ex parte Dei ad agendum requisita.

Objicies tertio: Cum scientia media non consistit libertas voluntatis creata: Posito enim auxilio divino, & scientia media quā Deus novit, si detur hoc auxilium in his circumstantiis habiturum effectum, non potest non sequi consensus voluntatis creata.

Respondeo, Si ita noxia est libertati humanae scientia media auxiliū indifferentis, ut prævisioni prædeterminationis physica, actum per se infallibiliter inferentis. Nihilominus, admittunt adverfari Deum prævidere, si ponatur prædeterminationis physica, voluntatem liberè consenserit: Si ergo scientia conditionata futura prædeterminationis, non tollit libertatem voluntatis humanae, quomodo eam tollit scientia conditionata auxiliū indifferentis, quod ex parte sua voluntatem indeterminatam relinquit.

Ad rationem itaque allatam, in forma dico: Posit auxilio divino, & ista scientia media, non potest non sequi consensus voluntatis humanae, necessitate aliqua simpliciter antecedente istum consensum, nego; necessitate aliqua consequente & præsupponente liberum exercitium voluntatis, concedo; hac autem præscientia non potest tollere illam libertatem cuius exercitium à præscientia non penderet, sed potius illa præscientia dependet à determinatione conditionata & libera ipsius voluntatis. Per scientiam itaque medium, ideo solum novit Deus Petrum consenserit, si ponatur in his circumstantiis, quia reipsa in illis constitutus ad consensum libera se resolveret. Nulla igitur hic est necessitas nisi merè consequens ex hypothesi libere determinationis voluntatis humanae, cum absolute fuerit in potestate Petri efficere ut Deus hanc scientiam non haberet, sed contraria de negatione consensus, si nempe Petrus in illis circumstantiis positus nollet consentire.

Quinimo, si voluntas esset instructa gratia, & consensu Dei, & alius ad agendum proximè requisitus, eodem modo actum eliceret etiam scientia illa à Deo penitus abesseret. Ita enim præscientia conditionata, quæ in actum nullo modo influat, non requiritur ad hoc ut voluntas possit agere; ut aliqui prepostere concipiunt, sed ut Deus in decernendo actu libero creature procedat prævidere, & non caco modo, per auxilia & media indifferentia, cum quibus non potest cognosci conjungendum esse effectum, nisi id exploretur beneficio scientie mediae; sine qua in obtinendo efficaciter actu libero, dirigendæ essent à Deo suæ gratia eventu incerto: sicut ab homine emittuntur scopus plures sigilla, & quibus incertus est an haec, an alia scopus attingeretur, cum singulae ad hoc sint indifferentes, & possint à scopo aberrare.

Instabis, Et si admireretur scientia media esse posterior, consensu voluntatis creata ut conditionatè futuro, est tamen illa prior eodem consensu in statu absoluto, sive ut est absolute futurus, & stante illa præscientia necessariè sequitur: Ergo scientia media aufert libertatem istius consensus ut est absolute futurus.

Respondeo distingundo antecedens: Scientia media est prior consensu absolutè futuro aliqua prioritate rationis, in quantum dirigit Deum ut actum futurum absolutè decernat, concedo antecedens: Est prior consensu absolutè futuro aliqua prioritate naturæ, per modum cause influentis, nego antecedens. Tantum enim requiritur illa scientia in Deo, ut cognoscatur consensus ille positus mediis indifferentibus infallibiliter securus, non verò ut illa inactum influat. Quinimo positis ceteris prærequisitis actu ille non minus eliceretur, etiam scientia media abesseret, ut supra ostendi, ut & ipsam scientiam medium potius dependere à libero exercitio hujus actus sub conditione futuri.

Quomodo verò universem scientiæ media, aut alia, quæ sic præcedunt actum liberum ut ab ipso libero actu exercitio dependant, nullo modo officiant libertati, clarius elucescat ex similitudine Umbrae, quæ Corpus nostrum antecedit quando sol nobis à tergo obvertitur. Nihil enim ambulantis libertati obest illa umbra necessariè antecedens, cum illa non obstante possit homo pro suo arbitrio huc, vel illuc ambulare, & efficere ut hæc, vel illa umbra præcedat, quamvis ex hypothesi quod sit ad solem retro lucentem debeat aliqua umbra hominem antecedere. Est autem rerum futuritio quasi quedam umbra intelligibilis, quæ licet, intervallo temporum, rerum futurorum existentiam antecedat, ab hanc tamen futura existentia, tota illa antecedens futuritio dependet. Non potest igitur illa futuritio aut prænotio rerum futurorum libertati præjudicare, etiam res quæ est, vel effet futura, per suam futuritionem antecedentem, scipiam quodammodo objective antevertat, ut umbra quasi quid idem cum corpore, ipsum corpus antecedit. Quæ similitudo facilius accommodabitur rebus quæ tantum sub conditione essent futurae, si more Mathematicorum nunc confideremus astrorum umbras sive eclipses, quæ post viginti millia annorum essent futurae, quamvis forte mundus tam diu non stabit, adeoque eclipses illæ nunquam sint futurae, habent tamen nunc suam futuritionem in mente Mathematicorum.

Pars II. Contr. I. De varia in Deo scientia, ac præscientia futuror. 113

ticorum. Sic etiam futuritio conditionata non causatur ab ullo quod actu est, vel erit, sed ab eo quod esset si condito poneretur. Et per hanc similitudinem aptè explicari potest, quo pæsto omnis Dei præscientia, prædefinitione, prædestinatione, reprobatio, quamvis fuerint ab externo, non tollant hominis libertatem, sed à nostro arbitrio bene, vel male operante dependant, quod agere capiunt rudiores.

Objicies quartò: Uius ille scientia media favere videtur errori Semipelagianorum. Si enim Deus in distribuenda gratia dirigatur per scientiam illam conditionalem, sequetur opera conditionata ponenda, esse causam eur Deus hanc gratiā homini largiatur, in hoc autem errarunt Semipelagiani.

Respondeo, negando aliumptum: Ad argumenti sequelam dico, Opera conditionata ponenda, et si sint certo modo causa finalis, ad quæ obtinendu conceditur gratia, non esse tamen opera illa causam meritoriam, aut imperatoriam gratias, sic ut illa non dum existentia gratiam sibi à Deo tanquam premium concedi postulent, hoc autem contendebant Semipelagiani. Cum enim vellent omnem Dei gratiam homini dari ob merita ejus naturalia prævia, & sepe non reperirent merita absolute futura, recurebant ad merita, sive bona opera conditionata ponenda, sic ut afficerent ex duobus infantibus morituris uni predestinari Baptismum, & alteri negari, eò quod Deus previderet, si supervixissent, unum benē actuū, alterum malē: Item uni adulto, non alteri, fidem prædicari, eo quod Deus præsciret hunc, non illum, crediturum si fides illis annuncietur. Ista autem doctrina etiam apud defensores scientia media profusa errore est, cum certum si nullum opus, nisi absolutū existens, præmium aut pñnam mereri: imò constet multos præmaturē morte salvari, qui si diutius vixissent, in multa demerita, & peccata incident, iuxta illud Sapientia 4. Raptus est ne maiestia mutaret intellectum ejus: quem proinde locum sibi adversum, teste S. Augustino lib. de Prædest. Sanctorum cap. 14. Semipelagiani repellebant, tanquam è libro non canonico citatum.

Causa itaque motiva cur Deus det alicui gratiam quam prævidet fore efficacem, potius quam merē sufficientem, est ipsa Dei bonitas, quam non tenerit in omnes æquiter exercere: præscientia autem conditionalium proponit Deo opus bonum conditionatē futurum, ut dixi, non ut causam meritoriam gratia efficacis, sed rantium ut causam finalem, quæ non moverit actu existens instar meriti, sed per modum objecti futuri, & per media procurandi, iuxta illud D. Thomæ quest. 23. art. 5. ad primum. Uius gratia prædictus non est ratio collationis gratiae, nisi secundum rationem causæ finalis.

Objicies quintò: S. Augustinus agens contra Semipelagianos, scientiam medium non agnoscebat. Nam teste Prospero in epist. ad S. Augustinum, Semipelagiani credebant ab Augustino sui nomine prædestinationis, fatalem quandam induci necessitatem. Atque istius necessitatis nulla poterat esse apparentia, si prædestinetur gratia indifferens, quæ per scientiam conditionalium certò cognoscitur consensum voluntatis liberē obtentura. Ergo D. Augustinus illam scientiam non agnoscebat.

Respondeo, Etsi S. Augustinus in statuenda præ-
R. P. Arfak. Tom. I.

destinatione usus fuisset scientia mediæ, potuisse nihilominus Semipelagianis videri, etiam cum illa, non satis salvari hominis libertatem: Sieut etiamnum multi contendunt per prædefinitionem nixam scientia media creature libertatem everti, uti supradividimus in objectione quarta, quamvis ē contra aliū existimunt ea posita nullum esse evertendæ libertatis periculum.

De cetero, notam fuisse S. Augustino, aliisque Paribus scientiam illam conditionalium, sive medianam, patet vel eo, quod noverint ex Scripturis Deum præscivisse, quid actuū fuerint Celites si David apud eos mansisset; & quid visus Christi miraculis fecissent Tyrrii & Sidonii, de quibus supra. Atqui S. Augustinus & Patres non agnoverunt de actionibus istis sub conditione futuris decreta conditionata quæ ponunt Thomista, sacerdotem disertè docet S. Augustinus, non omnium rerum, quarum est in Deo præscientia, earum etiam esse prædestinationem sive decretem, sed prædestinationem esse de rebus bonis tantum, præscientiam etiam de malis. Ergo debet S. Augustinus cum aliis Paribus, ad præscientiam istarum actionum, maximè malarum, scientiam medium agnoscere.

His breviter dissolutis, Non parum subit admirari, argumenta ista ab adversariis jaētari tanquam tela scientia media, ac molinistis fatalia, cum tamen ex iis præcipua faciliter polluat unico verbo infringi, & in suos Authores retorquet, ut jam ostendo.

Jactant imprimit S. Augustinum in concilianda gratia cum libertate nomen scientia media nunquam usurpare. Sed ne hoc prolixè disputetur, ita sit, quid inde? Nupsiam gratiae per se determinantis, nupsiam physicae prædeterminationis, nupsiam istius decreti ex parte actus absoluti &c. nomen diserte expressit. An ideo agnolces hac quoque penitus repudianda tanquam S. Augustino ignota? Nihil igitur hinc in scientiam medium potius quam in adverbiorum doctrinam invidit redundat.

At urgent alii D. Augustinum scientiam medium in Semipelagianis diserte reprobasse. Sed contra: Si Scientiam hanc ne quidem de nomine novit, quo pæsto eam diserte reprobavit? Dico igitur, S. Augustinum scientiam in Deo medium nunquam repudiasse, admittit tamen quandoque malum ejus usum in Semipelagianis reprehendisse. Verum quid inde conficias? An non potest rei optimæ abusus esse pessimus? Si hac tempestate Calvinista gratia per se prædeterminante sic abutantur, ut perperam doceant per eam humanæ voluntati necessitatem inferri, an ideo admittas gratiam illam esse Calvinianam & è Scholis relegandam.

Sed inquires, Semipelagiani olim ajebant, aliquos infantes præ aliis ante mortem baptizari, & quodam adultos præ aliis ad fidem efficaciter vocari, quia nempe Deus per scientiam medium prævidit illos postea si superviverent fidem liberē amplexuros; quod ab Augustino & Ecclesiâ universa merito damnatum fuit.

Respond. Semipelagianos in eo damnatos esse, quod dicentes opera bona ex viribus nature, & tantum conditionatē futura, vim habere meriti, & ad salutem conducere, non quod assicerent ea opera à Deo sub conditione fuisse prævisa.

Hoc si neges, & porrò contendas, illorum er-

P
torem

Isde
Kin

Theo.
logia

114 Pars II. Contr. II. An detur prædeterminatio Physica actiones liberas Creat.

orem in hac præscientia situm fuisse. Vide ne te ipsum non minus quam tuos Adversarios incaute impugnes. Nam & ipse, faltem in decretis conditionatis, præscientiam de omni objecto etiam sub conditione futuro in Deo admittis; & tamen ex præscientia sic habita sequetur vim meriti absolutam competere operibus ut conditionate futuris, si id ex vis scientiae medie sequi debeat: Parum enim refert Deus in decretis, sive per scientiam medium opera illa præcognoscet ad hoc ut rationem meriti obtineant, in quo illis attribuendo haeretici illi meritò damnati fuere. Atque ita ut alios in Pelagianum illud Pelagus demergas, teipsum in eandem ruinam incaute precipitas.

Sunt & alii, qui scientiam media Patronis objiciunt, quod velint esse primi istius scientie authores, cum tamen ea sit antiqua, & pridem cognita: at contra alii ex adversariis eam novitatis insimulant. Nec defunt alii qui scientiam medium penitus abstrusam, & inconcepibilem esse afflunt: alii verò eam ut nimis apertam, & facilem gratia & libertatem conciliatricem accusant, cum mysterium hoc maximè redunditum esse omnes agnoscant. Hæ accusationes dum sémuto interimunt, nostra responsione non egent.

Stant autem pro hac Scientia, præter Authores Societatis, variae Academie, ac Doctores celeberrimi. Pro cädem apud Henauum & Philalethem cap. 3, §. 3, à pag. 175. ex *Archiepiscopis* enumeratur Hugo Cavellus, Antonius Peres, Augustinus Anrolinus, Galper Nemius Duaci olim Professor: Ex *Episcopis* Malederus, Maſcarenius, Dictalepius, Manriquez, Abelli, Crespi, Joannes Strienus, Levinus Torrentius, S. Franciscus de Salesius, novum Ecclesiæ tam sanctitate quam doctrinâ column & ornamentum. Ex quibus discernet idoneus lector, hanc Scientiam, & quæ illi innituntur dogmata, inter sanæ, solidæque doctrinæ articulos liberè recipiendam, eti contra eam à pluribus more Scholastico disputatione, uti fit in Controversia sequenti.

CONTROVERSIA SECUNDA.

An detur Prædeterminatione Physica à Deo ad omnes actiones creaturarum.

§. I.

Status & Historia hujus Controversia.

POst Disputationes coram summo Pontifice institutas à Patribus Dominicanis contra scientiam Medium & affines Controversias, rogavunt impensè Patres Societatis, ut sibi quoq; liceter contra Prædeterminationem physicam, præfertim in materia de gratia, sua argumenta depromere. Itaque de illa coram Paulo V. habitæ sunt à P. Bastida octo disputationes, quæ durarunt usque ad diem 22. Februario anni 1606. In quibus contendebat gratiam quæ est efficax in actu primo non esse talem ex sua physica entitate, sic ut eā posita in voluntate, implicit contradictionem ex vi illius gratiæ non sequi voluntatis consensum: idque ex quatuor potissimum principiis concludebat. Primo, ex testimonio Scripturae: 2. ex definitionibus Conciliorum Tridentini, Arausianæ, & Senonensis:

3. ex doctrina S. Augustini & ex aliis Ecclesie Patribus: 4. ex consensione quam conabatur ostendere inter hanc, & doctrinam Calvini, non enim videbatur adhuc eo tempore in hoc conatu nimium excedere, cum paulò ante ab adversarii, prolixis parallelis, doctrina Molinae, cum Pelagiū institutis collata fuisset. Omnibus absolutis talis fuit Pontificis sententia, qualem de scientia media in §. II. supra retulimus.

Status itaque hujus celeberrime Controversie de Prædeterminatione physica generice sumptu hic est. An ut creatura agat, necessariò prærequiratur prædeterminatione physica, quæ sit prævia aliqua motio ad singulas actiones à Deo producta in causa secunda, per quam applicetur, & determinetur ad agendum.

Prima sententia propria est Thomistarum, quæ asserit, præter concursum concomitantem, quem ponimus, causæ primæ cum secunda, necessariam esse motionem illam antecedentem, quā positâ creatura debeat agere, & quā non posita nequeat operari, sive sit agens necessarium, sive liberum.

Disconveniunt tamen inter se Thomistæ in assignanda Entitate in qua præcisè consistat illa promotione. Primò, Bannez, Caprera, aliqui apud Ruiz de Vol. Dei disp. 46. sect. 1. volunt esse qualitatem physicam & fluentem à Deo causis Secundis imprimam, & per modum partialis principii prius naturæ completentem actionem creatura; & sic dicendum est hanc præmotionem se tenere ex parte actus primi.

Secundo, docet Nazarius, & Cazezudo, esse ipsam actionem creature prout illa procedit à Deo ut causa determinante, & simul à creatura ut causa determinata; & juxta hanc expositionem, prædeterminatione videretur se tenere ex parte actus Secundi. Alii recentius ajunt, illam confutare in applicatione omnium prærequitorum ad actum secundum, sive ad actionem necessariam ponendam.

Tertiò, Alvarez & Zumel tradunt prædeterminationem esse aliquid neque spectans ad actum primum, neque ad actum secundum, sed inter utrumque aliquid medium de utroque extremo aliquid participantis, quam motionem virtuale nuncupant. Sed ista entitas media nullâ potestate ratione fulciri; per hoc enim omnino corruit, quod neque D. Thomas, neque alii Theologi dividentes adæquatè actum in primum & secundum, talis actus medi unquam membrinat. Quodque per se inexplicabile videatur, aliquam rem absolute existere, & simul de actu primo aliquid participare.

Secunda opinio est Scotistarum, negantium creaturas applicari ad agendum per ullam hujusmodi entitatem illis intrinsecè inditam, affirment tamen illas per decretum Dei extrinsecum, absolutum, & efficax ad agendum applicari ac determinari. In hoc igitur à Thomistis tantum discrepare videntur, quod hi doceant præviā creature applicationem fieri per aliquid causa create intrinsecum, Scotistæ verò per aliquid extrinsecum. Sed neque sic prioris sententiae difficultates satis evitant, neque defunt proprias insuper incurvant.

Tertia opinio prioribus opposita, & Scholæ Societatis universæ propria; reicit omnem istiusmodi prædeterminationem physicam: Negatque applicationem